

Sporer., *loco cit.*, n. 127; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 1939; Gobat, tom. II, tract. 3, cap. 31, n. 319, et alii passim, docentes posse in similia commutari a confessariis privilegiatis, quando votum non est perfectum, et absolutum.

(137. Votum religionis ingrediendæ, si non petatur commutatio ad effectum matrimonii contrahendi, solet commutari in statum sacerdotalem, et jejunia illius religionis, ac aliquas elemosynas singulis annis in honorem sancti Fundatoris illius religionis. (138. Non potest tamen quis tale votum commutare simpliciter in susceptionem episcopatus, quia licet status episcopalis secundum se sit perfectior, non efficit tamen hominem perfectiorem, quam religio, licet perfectiorem esse supponat. Unde in cap. *Per tuas* 10, De voto, qui vovit religionem ingredi, et voto non adimpleto susceperat episcopatum, cogitur episcopatum resignare, et religionem ingredi, ibi: « Consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimem resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua. »

(139. Votum autem ingrediendi religionem strictiorem potest justa de causa commutari a confessariis privilegiatis et regularibus in laxiorem, servata debita æqualitate, et proportione. Sic Viva, *De jubilæo*, qu. 12, n. 11; cum Lessio, Bonac., et Sanchez, ibi citatis; Leander, *De voto*, tract. 1, disp. 18, n. 50; Gobat, tom. II, tract. 3, cap. 41, num. 319 et alii. Vide *supra*, n. 91 et 108.

(140. Votum suscipiendi sacerdotium commutari potest in quotidianam recitationem officii B. M. V., vel septem psalmorum penitentialium cum litanis sanctorum, et in procuranda celebratione Sacri semel in quolibet mense, et in confessionem ac communionem bis singulis mensibus, et in votum castitatis in statu laicali, et si nolit castitatem servare, in perpetuum jejunium singulis sextis feriis, vel Sabbatis.

(141. Votum non contrahendi matrimonium potest commutari in confessionem et communionem semel singulis mensibus, in perpetuum jejunium unius diei singulorum mensium, in quotidianam recitationem litaniarum B. Mariæ Virginis, vel in procuranda quotannis celebratione octo, vel decem Missarum, quamvis Sanchez, *loc. cit.*, n. 42, Gobat, *loco cit.*, cap. 42, n. 325, et quidam alii dicant posse commutari in confessionem singulis mensibus biennio, aut triennio faciendam. Itemque in novem Sacra extra ordinem faciendam.

(142. Votum peregrinationis pedestris ita commutari potest, ut labor itineris compensetur totidem dierum jejunio. Peregrinationis vero equestris quatuor dierum iter compensetur unius diei jejunio una cum erogatione in pauperes omnium illarum expensarum, quas vovens juxta sui status conditionem eundo, commorando, et redeundo esset factururus. Sic communis quoad expensas, quas esset vovens factururus eundo, et commorando, et communi, ac verior do-

etorum sententia quoad expensas quas esset factururus redeundo: Gobat, tom. II, tract. 3, cap. 39, n. 30; Sanchez, *De voto*, cap. 56, n. 11, cum multis ibi citatis; Leander, *De voto*, disp. 18, q. 47; Bardus, et alii ibi allegati: Suarez, lib. IV, cap. 19, n. 10, et alii plures per expressum textum in cap. *Magna devotionis* 7, De voto, et voti redemptione, ubi in simili voti commutatione Summus Pontifex vult habendam esse rationem laboris, et expensarum, non solum pro accessu, et mora, sed etiam pro regressu, ibi: « Tibi pro te, et famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, ut expensas, quas fueras in eundo, morando, et redeundo factururus, alicui religioso committas in necessarios usus terræ illius (nempe Sanctæ, ad quam Trecensis episcopus, de quo ibi est sermo, peregrinationem voverat) sine diminutione qualibet transferendas. . . laborem etiam laboribus recompenses sollicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, et in jejuniis fortius te exercens. »

(143. Henriquez autem, lib. VII, cap. 3; Rodriquez, tom. II, c. 110; Grassius, lib. II, cap. 30, n. 9; Felix Potest., tom. I, part. II, a n. 1950, et alii negant in tali commutatione computandas esse expensas, quas vovens esset factururus in regressu, et dicunt non obstare allatum textum, quia ideo in illo casu voluit Pontifex habendam esse rationem etiam expensarum regressus, quia tunc agebatur de summa indigentia elemosynarum pro liberatione Terræ Sanctæ ab infidelium manibus, ita ut ad talem finem etiam *Cruciatam* indixerit: unde sicuti casus, et circumstantiæ illius textus non habent locum in aliis casibus peregrinationis, ita non faciunt, ut eadem dispositio particularis extendatur ad alios casus generaliter: a diversis enim non fit illatio, nec in ipsis est facienda extensio de casu in casum: leg. *Sed si ante* 17, ff. *De except.*; l. *Papinianus* 2, ff. *De minoribus*, l. *Si maritus* 10, in fine, cod. *De donat. inter virum et uxorem*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, cum similibus. Quæ opinio est probabilis, et tuta, uti etiam tutam vocat Gobat, *loc. cit.*, quamvis non esse tutam contendat Suarez, *cit. lib. IX*, cap. 19, n. 19, * cui vehementer assentior*.

(144. In simili autem commutatione sunt semper deducendæ expensæ, quas tunc vovens erat domi factururus, cum illæ nullimode includantur in voto. Sic doctores communiter.

(145. Si voto peregrinationis, v. g. ad sacram Lauretanam ecclesiam unitum sit etiam votum de elargiendo dictæ ecclesiæ lampadem centum aureorum, et illa lampas fuerit jam a rectore, seu procuratore nomine dictæ Lauretanæ ecclesiæ acceptata, dictum votum de elargienda tali lampade nequit commutari per dicta supra, n. 124, et sub verb. *JUBILÆUM*, art. 2, n. 37, et sub verb. *JURAMENTUM*, art. 3, n. 33. Unde dicta lampas debet ad præfatam Lauretanam ecclesiam transmitti, sed expensis commutatio-

nis dictæ peregrinationis, ut scilicet ab expensis, quas esset vovens in ipsa peregrinatione factururus, et ratione commutationis in pauperes erogandis tantum detrahat, quantum sufficit pro transmissione lampadis: si autem votum de elargienda dicta lampade nondum fuerit acceptatum, tunc posset commutari, et lampas alteri ecclesiæ elargiri, seu in alia opera pia, aliqua rationabili causa exigente, converti, per dicta supra, n. 123, et sub verb. *JUBILÆUM*, art. 2, n. 36.

(146. Expensæ, quas vovens erat in peregrinatione factururus, possunt commutari in totidem elemosynas elargiendas ecclesiis, pauperibus, aut in alia pia opera applicandis. Non enim necesse est, quod transmittantur ad ecclesiam, et locum, quo erat peregrinatus, quamvis hoc esset consultius, si commode fieri posset. *Communis*.

(147. Labores, incommoda, et pericula peregrinationis commutari debent in opera pia, puta in jejunia, orationes, ac vigiliis, juxta text. in cap. *Magna devotionis* 7, De voto, allat. *supra*, numer. 142.

(148. In commutatione voti peregrinationis semper addi debent confessiones, et communiones, et visitationes ecclesiarum, seu altarium illorum sanctorum, ad quos erat peregrinatio eo voto directa, ut monent doctores communiter.

(149. Votum jejunandi in perpetuum omnibus Sabbatis commutari potest in recitationem Rosarii cum moderata elemosyna faciendi dictis omnibus Sabbatis, vel in confessionem et communionem bis in singulis mensibus.

(150. Votum jejunandi semel in pane, et aqua, commutari potest in unam confessionem, et communionem, aut in recitationem Rosarii cum verberatione corporis, seu aliqua elemosyna competente statui, et conditioni vovens.

(151. Votum elargiendi talem elemosynam pauperibus commutari potest in servitium hospitalis tot diebus sufficientibus judicio prudentis confessarii ad compensandam elemosynam. Sic e converso votum serviendi hospitali tot diebus commutari potest in correspondentes elemosynas ipsi hospitali elargiendas. Et hæc pro exemplari sufficient. (152. Poterit enim prudens confessarius ex istis colligere alias similes commutationes faciendas: dummodo semper attendat ad personarum conditionem, sexum, dispositionem, et hujusmodi, ratione quorum pro eodem voto minor subroganda est peregrinatio, v. g. debili, ac seni, quam viro robusto, ac juveni; minor elemosyna pauperi, quam diviti; pauciora jejunia debili ac laboranti, quam otioso, ac benevalenti, et sic de similibus.

(153. Quæcunque autem vota, exceptis realibus a tertio acceptatis, commutari possunt in professionem religiosam; imo per ipsam penitus extinguuntur. Vide *supra*, n. 8 et 9.

(154. Facta commutatione voti liberum

forte est vovendi, aut prius votum exsequi, aut opus, in quod prius votum commutatum est; imo etiam ejusdem operis novam commutationem ob rationabilem causam petere, et obtinere poterit. Etsi pluries commutatio facta sit, poterit quodlibet opus substitutum eligere, vel ad votum redire. *Communis*. Et ratio est, quia commutatio facta est in favorem vovens; quisquis autem favori, ac juri suo renuntiare potest; cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*. Et quilibet renuntiare potest ei, quod pro se nascitur introductum, textu expresso in cap. *Ad Apostolicum* 16, De regularibus: « Et quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, » ut expresse habetur in cap. *Quod ob gratiam* 61, De regul. juris in 6.

(155. Facta commutatione voti, si opus subrogatum fiat postea impossibile, vel inutile, et si per culpam vovens, vovens omnino liberatur, neque tenetur redire, et exsequi prius votum suum; quippe quod per legitimam commutationem jam extinctum est; obligatio enim semel extincta non reviviscit: leg. *Qui res* 98, § 8, ff. *De solutionibus*. Peccavit tamen vovens, si ejus culpa opus subrogatum factum sit impossibile: unde si votum, v. g., dandi certam elemosynam, commutatum sit in aliquod certum jejunium, sive ob justam causam excusantem, sive ex causa culpabiliter contracta nequeat a vovente adimpleri, imo etiam culpabiliter jejunare negligat, atque peccet, non tenetur redire, et exsequi votam elemosynam. *Communis*.

(156. Qui commutare potest votum, potest et penam ratione voti transgressi debitam commutare. Unde si quis, v. g., voverit se non lususurum, aut se non inebriaturum, vel in penam jejunaturum, et interea sæpius transgrediendo penam obligationem ex voto incurrerit, nec persolverit, confessarius privilegiatus poterit ob justam causam, non solum commutare votum quoad obligationem facti, et penam in futurum, sed etiam poterit commutare obligationem penarum pro præteritis transgressionibus incursum. Sic Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 52, numer. 10, et cap. 56, numer. 33; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 8, num. 20; Suarez, lib. VI, *De voto*, cap. 20, num. 18; Sporer, *loc. cit.*, num. 134; Henno, tom. I, tract. *in Decalog.*, disp. 2, q. 3, § 5, vers. *Petes sexto*; et alii plures contra Navarr. et alios. Et ratio est, quia votum magis obligat ad materiam directe promissam, quam ad penam, adeoque confessarius potens commutare votum quoad materiam directe promissam, poterit et commutare quoad penam: « Cui enim licet quod est plus, licet utique quod est minus, » textu expresso in cap. *Cui licet* 13, De regul. juris in 6: « Et ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, » ut expresse habetur in cap. *Ex parte* 27, De decimis.

(157. Habens potestatem ordinariam, vel delegatam ad vota commutanda, tenetur ipsa commutare, cum ob rationabilem cau-

sam ad id requiritur. *Communis*. Et ratio est, quia nisi justam causam habeat talem commutationem denegandi, censetur infidelis minister, cum recipiendo dictam facultatem se implicite obligaverit ad ejus usum, ubi requireretur, et justa adesset causa. Vide *supra*, n. 67.

(158. Hactenus dicta de votis currunt, salva proportione, etiam de juramentis. Vide verb. JURAMENTUM, art. 3, per tot.

(159. Alia ad rem: Vide verb. JUBILÆUM, art. 2, et verb. MATRIMONIUM, quoad impedimenta, art. 3.

(160. Votorum commutatio (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera facienda a confessariis conceditur in jubilæo universali; Bened. XIV, tom I, const. inc. *Letiora Apostolicæ servitutis*, § 4, et const. 110, incip. *In suprema*, § 4.

(161. Vota simplicia, exceptis religionis, castitatis, ac ultramarino, et visitationis liminum Apostolorum, in alia pia opera rite commutari possunt per confessarium electum ex approbatione ab ordinario loci in vim bullæ *Cruciata*. Idem, constit. 86, incip. *Quoniam*, § 8.

(162. Vota tamen simplicia etiam castitatis, et religionis, ac sacrarum peregrinationum dispensando commutare potest major penitentiarius Romanus. Idem, constit. 95, tom. I, bull. incip. *Pastor bonus*, § 29.

(163. Vota simplicia in congregatione Missionis emissa a nemine quacunque causa, et occasione dissolvi possunt, præterquam a Romano Pontifice, aut a superiore generali congregationis in actu dimissionis tantum. Idem, const. 69, incip. *Quo magis*. (164. Vota simplicia, quæ in Societate Jesu post biennium probationis emittuntur, beneficiorum vacationem non inducunt: quamvis in congr. quinta generali ipsius Societatis, canone 19, statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat.

(165. Quo casu hujusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur. Idem, const. 25, incip. *Ex quo*, § *Denique*, ex Suarez, Pellizario, Riganti, Pitonio, et aliis.

(166. Ad complementum, juvat hic adjicere decretum Summi Pontificis Benedicti XIV, prævio consilio particularis congregationis ab ipso deputatæ Cardinalium de Gentilibus, Cavalchini, Tamburini, et Besotii, nec non archiepiscopi Damasceni, congregationis Episcoporum et Regularium, atque ejusdem congregationis particularis secretarii, super dubio, an vota, quæ a Conversis Cisterciensibus emittuntur, simplicia sint, vel solemnia?

Delata ad penitentiariæ Apostolicæ signaturam controversia de votis, quæ in professione a Conversis Cisterciensibus emittuntur, an simplicia sint, vel solemnia, eadem a dubii definitione se abstinent, eo potissimum sub obtentu, quod de ea agendum esset in congregatione Episcoporum et Regularium, cui jam exhibita fuerant suf-

fragia Patrum Generalis, et procuratoris generalis ordinis Cisterciensis. Sed, cum nec ab hac ullum usque adhuc judicium prodiiisset, opportunum et congruum fore reputantes, si rem totam ad Nos avocarem, in congregatione particulari coram Nobis habenda discutiendam, supradictorum cardinalium, et secretarii congregationem deputavimus: quæ habita coram Nobis die 16 currentis mensis Martii, unanimi censuit suffragio, vota a Conversis Cisterciensibus in professione emissa, non esse simplicia, sed solemnia.

Et sane, si in ipso famina Cisterciensis exordio, quod sæculo undecimo contigit, monachis Conversi adjuncti fuerunt, ut monachi in claustrum solitudinis, et contemplationi vacarent, et Conversi domos illas regerent, in quibus utilia hominum necessitati parabantur, et sic de Conversis statutum est. Tuncque definerunt, se Conversos laicos barbatos licentia episcopi sui suscepturos, eosque in vita sua, et in morte, excepto monachatu, ut semetipsos, tractaturos: uti legitur in exordio Cisterciensis conobii, tom. I *Bibliothecæ Patrum Cisterciensium*, Tissier autumantis citatum opusculum esse S. Stephani abbatis Cisterciensis.

Si, coacto secundo Lateranensi concilio anno 1139, sub Pontifice Innocentio II, statutum est, nulla futura matrimonia, quæ post professionem fierent a Conversis; si hoc ipsum confirmatum fuit in concilio Rhemensis, habito sub Eugenio Papa III, qui in minoribus fuerat abbas Sanctorum Vincentii, et Anastasii Romæ ad Aquas Salvias, sanctique Bernardi discipulus; si Pontifex Alexander hujus nominis III, in sua decretali, quæ incipit: *Non est vobis*, sub tit. *De regularibus*, æquali erga abbatem obedientiæ jugo respondit esse subjectos tum monachos, tum Conversos ordinis Cisterciensis: suadent hæc omnia, quod vota a Conversis Cisterciensibus in professione emissa non simplicia sunt, sed solemnia: quod etiam fuit animadversum a Mabillonio, monachorum institutorum peritissimo, in sua præfatione in part. II sæculi sexti ordinis Sancti Benedicti, § 9.

Nec ut ab hoc sensu quis recederet, quidquam prodesse potuerunt verba, quæ a Conversis Cisterciensibus in professione emittuntur: *Pater, promitto tibi obedientiam de bono usque ad mortem*; præterquam quod enim compertum est, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis nullam in emittenda professione verborum formam fuisse præscriptam, et quod nec etiam juxta præsentem disciplinam unius instituti regularis professio concordat in verbis cum professione alterius instituti; cum alumni Sancti Benedicti promittant stabilitatem loci, conversionem morum, atque obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti; alumni Sancti Dominici voveant obedientiam secundum Regulam Sancti Augustini; alumni Sancti Brunonis suorum morum conversionem promittant; quæ promissio æquipollere videtur promissioni Conversorum Ci-

sterciensium, obedientiæ de bono usque ad mortem.

Vis in eo consistere visa est, quod ad effectum, de quo agitur, nedum verborum, sed cæterarum quoque extrinsecarum circumstantiarum ratio habenda est. Cumque in libro *Antiquarum definitionum* Ordinis Cisterciensis, dist. 14, c. 1, tit. *De receptione et professione Conversorum*, legatur, quod post expletum novitiatum annum, Conversus ad capitulum monachorum accedens, prostratus primo veniam petat, et deinde surgens ad imperium abbatis, et interrogatus spondeat stabilitatem suam, post quæ abbas dicat: *Det Deus perseverantiam*; omnesque respondeant: *Amen*: quodque omni proprietate relicta, suorumque bonorum facta, prout liberit, maxime favore pauperum, distributione, flexis genibus jungat manus, easque ponat inter manus abbatis, eique promittat obedientiam de bono usque ad mortem, abbasque respondeat: *Det tibi Deus vitam æternam*; respondentibus omnibus: *Amen*: quæ omnia quoque leguntur in rituali Cisterciensium lib. VI *De ritu suscipiendi fratres*, cap. 7, sub titulo *De receptione et professione Conversorum*.

Accessus ad capitulum, non tempore novitiatum, sed post novitiatum expletum per integrum annum, promissio stabilitatis post interrogationem de ea factam, et ejusdem acceptatio facta ab abbate, cujus est professionem admittere, solemnitas proprietatis abdicatio, genuflexio ante abbatem, et cætera solemnia, quæ comitantur professionem obedientiæ de bono usque ad mortem, æternæ vitæ precatio, memoratæ obedientiæ correspondens, satis innunt, professionem esse solemnem, in eaque simpliciter et virtualiter contineri vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ, quæ utpote juncta professioni regulari, non simplicia sunt, sed solemnia, juxta responsum Bonifacii VIII, in capit. unic. *De voto, et voti redemptione*, in sexto.

Unanime interessentium congregationi suffragium pro solemnitate votorum, quæ a Conversis Cisterciensibus in professione emittuntur, fuit a Nobis in ipsa congregatione oretenus approbatum. Hoc ipsum a Nobis præsentis nostro decreto confirmatur, quod nostro sigillo munitum archiepiscopo Damasceno congregationis Episcoporum et Regularium, et particularis congregationis secretario, manibus nostris consignamus, demandantes, ut illud referat inter acta congregationis Episcoporum et Regularium, et decreti exemplar ad penitentiariam Apostolicam, et congregationem Cardinalium concilii Tridentini inter sua acta asservandum, transmittat: ut unanimis in posterum sit sententia de solemnitate votorum, quæ a Conversis Cisterciensibus emittuntur.

Datum ex palatio Apostolico Quirinali hæc die 21 Martii 1747.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(167. Circa votorum irritationem, dispensationem, et commutationem, vide quæ de

privilegiis Regularium alibi adnotata sunt.

RESPONSIO AUCTORIS.

Videat quidem prudens, et eruditus lector, quæ de privilegiis regularium alibi adnotata sunt; sed videat etiam, et ponderet, quæ ego ibi tradidi, et quæ in hisce animadversionibus ad ipsas notas respondeo sub verb. PRIVILEGIUM. Videatur insuper egregium, immortale, æternumque commendabile opus, Bullarium nempe præclarissimi ordinis Prædicatorum editionis Romanæ 1740, Hieronymi Mainardi, et præcipue tom. VIII, et tract. *De consensu bullarum*, et facile convinci poterit quicunque contrarium senserit de variis privilegiis Regularium, et ad id signanter videantur tradita ibi pag. 434, num. 6, præcisus his verbis. Qua de re audiendus illustrissimus et reverendissimus D. secretarius congregationis Indulgentiarum, qui dubia varia proponens eidem Sac. cong., feria 6, 30 Apr. 1734, in palatio Apostolico Quirinali habendæ, sic eminentissimos Patres, et reverendissimos Consultones alloquitur in scripto Romæ 1734, impresso typis Philippi Zenobii typographii Sanctissimi D. N. Clement. XII. — «Sane quod spectat ad expressam revocationem laudatæ constitutionis (a Benedicto XIII. concessæ Ordini Minorum, et a Clemente XII, simul cum aliis revocatæ) similis instantia fuit in hac Sacra congregatione proposita sub die 21 Januarii proxime præteriti anni, supplicantiibus canonicis regularibus Sancti Salvatoris, resoluti. — An per moderationem, seu revocationem expressam bullæ inc. *In sede*, favore ipsorum a Benedict. XIII. editæ Indulgentiæ ipsis concessæ, nec non privilegium Altaris, intelligeretur revocatum cui dubio responsum fuit ab eminentissimis Patribus. — *Negative*. — Ex quo in narrativa bullæ Sanctissimi D. N. Clementis XII, ad amovendam liti occasionem, ad terminos juris communis Benedicti constitutiones reduci asseratur, ac proinde solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impediencia videantur revocari.» Quæ sane verba, quibus illustrissimus D. secretarius mentem sacræ congregationis declarat, apprimè notanda sunt, ut id genus dubia solvi possint. Hæc *ibi*. Unde cum ex hac sacræ congregationis declaratione a Clemente XII in sua constitutione *Romanus Pontifex*, solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impediencia, videantur revocari, istis solum exceptis, omnia alia in suo firmo robore subsistunt, quæ Benedictus XIII. concessit, ac innovavit in duodecim constitutionibus pro variis regularibus editis, et in dict. constitut. *Romanus Pontifex* a Clemente XII enuntiatis; sicque inter varia alia, firmum subsistit regularium privilegium recipiendi ordines extræ tempora, et posse episcopos libere, licite, ac tuto sine ullo scrupulo eos sic ordinare, ut expresse declaravit, ac innovavit perennis memoriæ Bened. XIII. nedum in concilio Romano, sed etiam in constitutione *Pretiosus* edita pro inclyto ordine Prædica-

torum; ibi: « Quia vero ad aures nostras pervenit, non obstante nostra, ac etiam novissimi Romani conc. per Nos habiti, tit. 5, c. 11, sententia, quod regulares vigore suorum privilegiorum tuto, absque novo indulto Apostolico extra tempora Sacris initiantur etiam post (N. B.) Decreta concilii Tridentini, a nonnullis etiam episcopis in dubium revocari, an inter tales regulares, licet indefinite nominatos, recenseri debeant fratres prædicti Ordinis Prædicatorum, motu, scientia, et auctoritate prædictis declaramus, eosdem fratres ex nostra, ac dicti etiam Romani concilii definitione eodem privilegio frui, ac potiri posse, et debere, et quatenus opus sit, pariformiter dispensans super quacunque contraria dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostra erga prædictum ordinem, intra cujus dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectione, iisdem Fratribus signanter, specificè, et in individuo concedimus, quatenus a diocæsano, eoque renuente, aut non valente, a quocunque catholico episcopo ordines extra tempora suscipere, et episcopi ipsis conferre libere et licite valeant juxta declarationem S. Pii V, in bulla *Etsi Mendicantium*, et decretum Clementis VIII, et uberius explicata in dicto concilio Romano nostro, tit. 5, cap. 1 et 21, cap. 11. » Sic ibi ad litteram: *Vide* laudatum Bullarium tom. VI, pag. 621, et pag. 733, ubi refertur constitutio Clementis XII, incip. *Cum sicut*, in qua expresse declarat, se in d. const. *Romanus Pontifex* non revocasse privilegia regularium ipsis concessa ante dictas constitutiones Benedicti. Idemque concessit fratribus nostri Ordinis de Observantia in const. *Summe decet*, in qua confirmatis et innovatis centum et tredecim constitutionibus suorum antecessorum Pontificum ibi enuntiatis, pro variis privilegiis Ordini nostro concessis sub. num. 121, inter alia sic expresse concedit, et innovat « Privilegia, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam quoad susceptionem sacrorum ordinum extra tempora a jure statuta, absque exhibitione litterarum Apostolicarum in forma brevis, vel expresse, vel per viam communicationis regularibus concessarum, ut nuper a nobis ipsis in concilio Lateranensi, et per congreg. particularem decretum est, aliasque gratias per modum etiam communicationis, et extensionis cum aliis ordinibus Mendicantium, et non Mendicantium, præsertim S. Benedicti, ac quem Nos professi sumus, ordinis Prædicatorum, nec non Societatis Jesu. » Nec dictum privilegium suscipiendi ordines extra tempora ademit regularibus Bened. XIV, in sua

VOTUM PRO ELECTIONE.

Vide verb. ELECTIO, art. 3, et 4, fere per tot.

VOTUM PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, a n. 23 ad 26.

const. *Impositi nobis*. Imo tale privilegium eos habere aperte innuit in § *Hæc profecto* expresse dicens: « Neque enim regulares conqueri poterunt, quod recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis, effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile inveniunt. » Quid clarius? Nisi torqueantur, et perperam interpretentur dicta verba Pontificis. Vult quidem laudatus Pontifex, quod regulares dependeant, ut par est, a propriis diocæsanis ordinariis pro suscipiendis ordinibus, et ipsis absentibus sacram ordinationem extra tempora ipsis administrare, vel si ordinationem in temporibus ab Ecclesia statutis non sint ipsi habituri, nequeant regulares ab extra diocæsanis episcopis ordinari, nisi secum attulerint authenticam attestationem vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii ejusdem episcopi diocæsani, ex qua constet, vel ipsum a diocæsi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Cæterum per omnia superadducta, et signanter per dicta expressa verba ejusdem Benedicti XIV et per constitutiones *Pretiosus*, *Summe decet*, aliasque Benedicti XIII, non revocatas, quoad hoc a Clemente XII, in sua constit. *Romanus Pontifex*, juxta supra allatam declarationem sacre congregationis, viget in regularibus privilegium suscipiendi ordines extra tempora, et extra ipsa possunt proprii diocæsani episcopi eos licite ac tuto ordinare. Sicque servant plurimi episcopi pietate, virtute, et intelligentia Apostolicarum constitutionum conspicui, regulares omnes suæ respectivæ diocæsines sine alio, et illos aliarum diocæsines cum supradicta authentica, sine ullo scrupulo in dies ordinando, et in traditis de administrata ordinatione documentis apponendo, eos regulares sic extra tempora ordinasse vigore suorum privilegiorum, et plura similia documenta egomet ipse vidi, et alii alia de recenti videre. Alia ad rem *Vide* in *Supplem. verb. ORDO, ORDINARE*, et toties laudatum D. Alfonso de Liguori in suo novissimo opere edito 1759, cap. 20, ponto 4, § 2, num. 115. Videatur insuper constit. Benedicti XIII, incip. *Libenter*, § 18, pro inclyto ordine Eremitar. S. Augustini, ubi id eis competere declarat, et decernit, et quatenus opus sit, super quacunque contraria dispositione dispensat, ac de novo privilegium hujusmodi eis concedit.

USUCAPIO, SEU PRÆSCRIPTIO.

Quoad ea, quæ concernunt naturam, effectum, et condiciones usucapionis, seu præscriptionis.

(1. Præscriptionis nomen sumitur dupliciter, scilicet generatim, et magis proprie. *Communis*. (2. Præscriptio generatim sumpta idem est ac exceptio, sive oppositio ad excludendam actionem, seu intentionem alterius; sic accipitur præscriptio in l. *Sed et si*, § *Ultimo*, ff. De judiciis, et in toto tit. ff. et cod. *De exceptionibus, et præscriptionibus*. (3. Præscriptio magis proprie sumpta idem est ac exceptio peremptoria, per quam possessor bonæ fidei post decursum certi temporis a lege definiti, potest repellere dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure uti volentem, opponendo ei continuam possessionem talis rei, vel juris bona fide factam tempore a lege definito ad præscribendum, seu peremptorie excipiendum, per quam possessionem talem rem, vel jus fecit suum. Et sic accipitur præscriptio toto titulo 26 *De præscriptionibus*, l. ii *Decretal.*, et tit. 6 *Institut.*, De usucapionibus, et longi temporis præscriptionibus, et ff. *De usurpationibus et usucapionibus*.

(4. Unde quamvis nonnulli doctores cum Glossa in l. iii, ff. *De usucapionibus* in hoc distinguant dicant præscriptionem ab usucapione; quod præscriptio proprie sit rerum immobilium, usucapio vero rerum mobilium, quam differentiam etiam Scotus, in 4, dist. 15, quæst. 7, § *De secundo*, supponere videtur, ibi: « Ex hoc dico, quod præscriptio in immobilibus, et usucapio in mobilibus, » etc. (5. tamen hæc distinctio non habet fundamentum in jure, ut patet ex princip. *Institut.* De usucap. et præscript., ubi usucapio etiam ad res immobiles refertur, et ex l. *Unic.*, cod. *De usucapion. transformand.*, ubi sublata est omnis differentia inter usucapionem, et præscriptionem. Nam præscriptio locum habet in rebus mobilibus, cum post illarum usucapionem opponi possit exceptio præscriptionis contra priorem dominum: Covarr., in *Regul. possessor.*, part. 1, § *Unic.*, num. 2 et 3. Unde jam passim pro synonymis accipiuntur hæc nomina *præscriptio et usucapio*.

(6. Hinc præscriptio, seu usucapio definitur communiter a doctoribus, quod sit « acquisitio, seu adjectio domini rei alienæ, vel alieni juris peremptio per continuationem possessionis tempore, et modo a legibus definito. » In qua definitione notanter ponitur *vel alieni juris peremptio*; ad denotandum, quod per præscriptionem, seu usucapionem eliditur etiam jus alienum, seu acquiritur jus aliquod, quod antea alteri competeat, cum etiam jura aliena præscribi possint, ut usufructus, servitus, etc., imo etiam liberatio a debito aliquo.

(7. Præscriptio, seu usucapio fuit primitus introducta per jus civile, et deinde per jus canonicum approbata. Patetque ex l. i et seq., ff. *De usurpationibus, et usucapio-*

nous, et l. i et seq., cod. *De præscription. longi temporis*, cum similibus, ubi plurimæ leges præscriptionem, seu usucapionem introducentes reperiuntur, quæ postea per jus canonicum l. ii *Decretal.*, tot. tit. 26, *De præscriptionibus* fuerunt approbatæ; quod et patet ex c. *Vigilanti* 5. De præscriptionibus: ubi Alexander III, Summus Pontifex, dicit, quod « Ephesinus propter vitandam miserorum segnitiam, et longi temporis errorem, et confusionem, primus trienniali, vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit. »

(8. Præscriptio, seu usucapio varias ob justas causas fuit introducta, primo scilicet ob bonum publicum, ne rerum dominia diu, et fere semper essent incerta, textu expresso in lege *Bono publico* 1, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi: « Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad acquirendas res suas statuti temporis spatium. » Secundo, ut præcendantur innumerabiles, et perpetuæ lites, quæ cæteris oriri possent; textu expresso in l. *Usucapio* 5, ff. *Pro suo*, ibi: « Usucapio rerum etiam ex aliis causis concessa, interim propter ea, quæ nostra existimantes possideremus, constituta est, ut aliquis litium finis esset. » Tertio, ne rerum possessores prope immortali timore teneantur; textu expresso in l. *Cum notissimi* 7, in princ. cod. *De præscript. 30 vel 40 ann.*, ibi: « Ne possessores ejusmodi prope immortali timore teneantur. » In perpetuo enim timore essent, ne res ab ipsis possessæ evincerentur; unde in præjudicium boni publici fieret, ut nemo auderet fundos colere. Quarto, ut hoc modo segnitias, ac desidia hominum, qui res suas ac jura in judicio persequi negligunt, evacuetur, dum ea puniuntur ademptione domini, juxta l. *Ut perfectius* 2, De annali exceptione, ibi: « Sed sit aliqua inter desides et vigilantibus differentia. » Et cap. *Vigilanti* 5, De præscriptionibus, ibi: « Ephesinus enim propter vitandam miserorum segnitiam, et longi temporis errorem, et confusionem, primus tricennali, vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit. » Unde sibi imputare debet negligens; l. *Quod quis*, ff. *De regul. juris*. Jura enim subveniunt vigilantibus, et non dormientibus, ut habetur in leg. *Non enim*, ff. *Ex quibus causis majores*, et leg. *Pupillus*, ff. *De iis quæ in fraudem creditorum*.

(9. Præscriptio, seu usucapio est valida, et licita, nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientia, adeo ut, qui aliquam rem legitime præscripsit, non teneatur ad ejus restitutionem, nequidem in foro conscientia, quamvis post legitime completam præscriptionem certo cognosca-